

2. Praeterea, virtus naturalis passiva completa ab agente naturaliter exit in suam operationem, sicut visus motus a colore naturaliter videt. Sed in beata Virgine fuit naturalis potentia ad generandum, quamvis incompleta, ut ex dictis patet. Ergo posquam fuit perfecta virtute Spiritus sancti, naturaliter generavit.

3. Praeterea, in illuminatione caeci quamvis potentia visiva miraculose detur, tamen post acceptam potentiam naturaliter videt. Sed Spiritus sanctus Virgini potentiam generativam dedit. Ergo postea naturaliter generavit.

4. Praeterea, si generatio Christi ex Virgine esset miraculosa, sicut formatio hominis de limo terrae; tunc ita se haberet materia quam Virgo ministravit ad Christum, sicut limus de terra sumptus ad Adam. Sed talis materia non sufficit ad rationem matris, ut prius dictum est. Ergo beata Virgo non esset vera mater Christi; quod dicere est haereticum.

5. Praeterea, operatio miraculosa non est ab aliqua creatura. Sed vere dicitur quod Virgo genuit Christum. Ergo generatio talis non est miraculosa.

Sed contra, Dionysius dicit in epistola 4 ad Gajum, de Jesu loquens: *Super homines, inquit, operatur ea quae sunt hominis; et hoc monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, et aqua instabilis, materialium et terrenorum pedum sustinens gravitatem.* Sed hoc quod fit supernaturaliter, dicitur esse miraculosum. Ergo conceptio Christi ex Virgine miraculosa fuit.

Praeterea, Anselmus dicit in lib. de conceptu Virginis, cap. 22: *Spiritus sanctus (1) virtus Altissimi de muliere virgine virum virginem (2) mirabiliter propagavit.* Ergo generatio Christi ex Virgine miraculosa est.

Praeterea, sicut est contra naturae ordinem ut caecus videat; ita etiam ut virgo manens virgo pariat. Sed illuminationem caecorum dicimus miraculosam esse. Ergo et conceptio Christi ex Virgine miraculosa est.

Solutio. Respondeo dicendum, quod praeter unionem duarum naturarum in unam hypostasim, quae completa est in conceptione Christi, quae est miraculum omnium miraculorum, est etiam aliud miraculum ut virgo manens virgo concipiat hominem Deum. Ad hoc enim quod generatio aliqua naturalis dicatur, oportet quod fiat ab agente naturaliter, et ex materia naturali ad hoc proportionata. Quodcumque autem horum defuerit, non potest dici generatio naturalis, sed miraculosa, si virtute fiat supernaturali. Agens autem naturale, cum sit finitae virtutis, non potest ex materia non naturaliter proportionata effectum producere: agens vero supernaturale, cum sit infinitae virtutis, potest ex utraque materia operari, naturali scilicet et non naturali; et ideo duobus modis contingit esse miraculum. Uno modo quando neque agens est naturale neque materia naturaliter proportionata ad talem formam, ut patet in formatione hominis de limo terrae. Alio modo quando materia est naturalis, sed agens est supernaturale, ut quando aliquis miraculose a febre sanatur: corpus enim hominis est naturalis materia sanitatis, quae per superna-

(1) Nicolai: et virtus.

(2) Idem omittit virginem, ut et Anselmi textus.

turale agens confertur ei. Et similiter fuit in conceptione hominis Christi. Materia enim quam Virgo ministravit, fuit materia ex qua naturaliter corpus hominis formari potuit; sed virtus formans fuit divina. Unde simpliciter dicendum est, conceptionem illam miraculosam esse, naturalem vero secundum quid: et propter hoc Christus dicitur naturalis filius Virginis, quia naturalem materiam ad ejus conceptum praeparavit.

Inde patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod quando potentia passiva completur per operationem naturalis agentis, tunc operatio sequens est naturalis. Hoc autem non fuit in proposito; et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod caeco nato illuminato datur potentia visiva sine omni dispositione contraria visioni; et ideo operatio seu visio sequens est naturalis. Sed potentia generandi data est Virgini manente virginitate, quae est dispositio contraria ad conceptum: et ideo sicut potentia miraculose data est, ita et actus sequens miraculosus fuit. Vel dicendum, quod caeco illuminato datur potentia passiva, cujus operatio est per hoc quod movetur ab agente naturali, scilicet colore; et ideo visio ipsa naturalis est. Sed Virgini dicitur data potentia generativa per hoc quod mota est ejus potentia passiva ad generandum ab agente supernaturali; et ideo operatio sequens est miraculosa.

Ad quartum dicendum, quod formatio hominis de limo terrae fuit miraculosa quantum ad agens et quantum ad materiam; sed conceptio est miraculosa quantum ad agens, et non quantum ad materiam; et ideo non est simile de utroque.

Ad quintum dicendum, quod beata Virgo dicitur genuisse Christum, non sicut principium activum ad generationem praebens, sed sicut ministrans materiam naturalem; unde non est inconveniens quod generatio illa miraculosa fuerit. Operatio vero miraculosa non est alicujus creaturae sicut agentis, est tamen alicujus creaturae sicut materiae, ut patet ex eo quia miraculose ex aliqua creata materia Deus quandoque aliquid facit.

QUAESTIO III.

Deinde quaeritur de annuntiatione facta per Angelum ad beatam Virginem; et circa hoc quaeruntur duo: 1.º de convenientia annuntiationis; 2.º de convenientia nuntii.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum conveniebat Virgini (1) Salvatoris conceptionem nuntiari. — (3.º p., qu. 50, art. 1.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur, quod non oportebat Virgini Salvatoris annuntiationem conceptionem. Ipsa enim fidem habebat. Sed semper ad fidem pertinet credere incarnationem futuram. Ergo non oportebat ulterius quod per modum annuntiationis sibi patet.

2. Praeterea, sicut dicit Gregorius (homil. 26, in Evang.), fides non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum. Sed in collectione Angelus ad Virginem quaedam persuasiva ratio in-

(1) Nicolai omittit Virgini.

tio facta est. Ergo meritum fidei in ipsa vel evacuavit vel diminuit, quod videtur inconveniens.

3. Praeterea, in his quae sine hominis arbitrio Deus in homine complet, non requiritur aliquis consensus ex parte hominis. Sed prophetia praedestinationis est de his quae sine nostro complentur arbitrio, ut habetur ex Hieronymo (1) in Glossa Math. 1 super illud: *Ecce Virgo in utero habebit*; cujusmodi dicit esse hanc prophetiam Isai. 7, 14: *Ecce Virgo concipiet.* Ergo non requirebatur aliquis consensus ex parte Virginis, ratione cujus oporteret annuntiationem fieri.

Sed contra, majoris sapientiae ostensivum est miraculum factum in conceptione Christi ex Virgine quam in conceptione Joannis ex sterili. Sed conceptio Joannis per Angelum praenuntiata fuit, ne fortuito, sed ex Dei providentia accideret putaretur. Ergo multo amplius conceptionem Christi annuntiatione praecedere debuit.

Praeterea, in conceptione Christi est factum quoddam matrimonium per indivisibilem conjunctionem divinae et humanae naturae. Sed in matrimonio requiritur consensus, qui per verba nuntiorum et requiritur et reconciliatur. Ergo et deum ut Deus per Angelum suum consensum exquireret Virginis, de qua humanam naturam assumeret.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur, quod annuntiatione non fuerit per modum corporalis visionis. Ut enim dicit Augustinus (12 super Gen., cap. 16), inter tria visionis genera, quae sunt corporale, spirituale, et intellectuale, intellectuales visio est praestantior. Sed quod dignus est, matrem Dei magis deest. Ergo per intellectualem visionem, et non per corporalem, facta est annuntiatione.

2. Praeterea, apparitiones corporales Angelorum eo quod insolitae sunt, et praeter communem cursum naturae, inter signa et mirabilia computari possunt. Signa autem data sunt non fidelibus, sed infidelibus, ut dicit Apostolus, 1 Corinth., 14. Cum igitur beata Virgo fidelissima fuerit, non videtur ad eam apparitio corporalis Angeli fuisse facta (2).

Sed contra, Luc. 1, super illud: *Quae cum audisset turbata est, dicit Glossa (Ambrosii): Trepidare virginum est, et omnem viri ingressum parere, omnesque viri affatus vereri.* Non autem hoc virginibus efficitur ex intellectuali consideratione viri vel ex imaginatione, sed ex corporali aspectu. Ergo Angelus in corporali visione Virgini apparuit et eam colloctus est.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primum quaestionem, quod congruum fuit Virgini suam conceptionem annuntiare, multis de causis. Primo, quia cum mens Deo sit vicinior quam corpus, non decebat ut Dei sapientia ejus uterum inhabitaret sine hoc quod mens ejus cognitione summae sapientiae resplenderet; et ideo non decebat eam ignorare quod in ea fiebat, sed oportuit hoc sibi annuntiare. Secundo, quia ipsa futura erat certissi-

(1) Hieronymi quidem nomine citat Glossa, sed apud Hieronymum ipsum non occurrit. . . . Occurrit autem in Anselmo, vel in commentario nomen illius praeferebat (*Ex edit. P. Nodati*).

(2) Ad apparitionem corporalem Angeli fuisse factam.

ma testis inusitatae conceptionis; unde oportuit quod de tam magno mysterio per annuntiationem erudiretur. Tertio, quia Deus non diligit coacta sed voluntaria servitia, ut qui obsequuntur ex ipso ministerio mercantur. Unde cum beata Virgo singulariter et excellenter in Dei ministerium eligeretur, quem in utero portavit, lacte aluit, et brachiis bajulavit, decebat ut consensus ejus Angelo nuntiantem requireretur, quem humiliter praebens, ad obsequium se sedulam et promptam obtulit dicens: *Ecce ancilla Domini.*

Ad primum ergo dicendum, quod non erat terminate sub fide eadem tempus Incarnationis, et per quam virginem hoc esset implendum; unde de hoc instruenda erat per annuntiationem. Incarnationem enim futuram esse, quod antiquorum fidei subjacebat, firmissima fide tenebat.

Ad secundum dicendum, quod allocutio Angeli non ex humana ratione persuasit, sed ex omnipotentia divina, cui fides maxime innititur: dixit enim: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Ad tertium dicendum, quod ea de quibus est prophetia praedestinationis complentur sine nostro arbitrio causante; non tamen oportet quod sine arbitrio consentiente.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod convenientissime per corporalem visionem annuntiatione facta est. Primo ut annuntiatione esset certior. In his enim quae visibilibus certius minus decipimur. Secundo, quia, ut dicit Dionysius in epistola 9 ad Titum, haec est causa quare nobis divina per corporales figuras proponuntur, ut utraque vita hominis secundum suam proprietatem divina cognitione illuminetur; sensitiva scilicet imaginatione figurarum; intellectiva vero contemplatione spiritualis veritatis. Similiter etiam decebat ut Virginis aspectus uterque suo modo nobilitaretur, interior scilicet per revelationem tanti mysterii, et exterior per corporalem Angeli visionem. Tertio, quia annuntiatione debebat proportionari ei quod annuntiabatur. Annuntiabatur autem visibilis missio Filii Dei in mundum; unde decemter Angelus nuntians corporali visione apparuit.

Ad primum ergo contra hoc obiectum dicendum, quod quamvis intellectualis visio sit melior corporali, tamen utraque simul effector invenitur quam altera, propter connaturalitatem humanae cognitionis ad sensum.

Ad secundum dicendum, quod corporalis apparitio ad Virginem facta est, non propter confirmationem fidei, sed propter significationem mysterii, vel propter dignitatem ipsius, ut sibi singulari modo divina panderentur.

ARTICULUS II.

Utrum annuntiatione debuit fieri per Angelum.

(3.º p., qu. 50, art. 2.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur, quod annuntiatione per Angelum fieri non debuit. Missio enim qua Filius mittitur ut sit homo, est excellentior ea qua mittitur ut sit cum homine, ex parte effectus. Sed missio qua mittitur in mentem ut sit cum homine, non completur mediante Angelo, qui menti non illabatur, ut in 2 lib., dist. 11, art. 4, dictum est. Ergo nec quando missus est ut esset homo, oportuit ut per annuntiationem Angeli fieri.

2. Praeterea, superior non instruitur per inferiorem. Sed beata Virgo fuit Angelis superior quia Deo acceptior. Ergo non debuit sibi per Angelum Christi conceptio nuntiari.

5. Praeterea, ordo reparationis debet respondere ordini primae conditionis. Sed in prima conditione praeceptum divinum ad mulierem per virum venit. Ergo et per aliquem virum prophetam annuntiari debuit Virgini conceptio filii.

Sed contra est quod dicitur in littera: *Missus est Gabriel Angelus.*

Praeterea, ut probat Dionysius (4 cap. caelest. Hierar.), Angeli sunt medii inter Deum et nos. Sed ab uno extremo in aliud devenitur per medium. Ergo ea quae beatae Virgini divinitus nuntianda erant, per Angelum nuntiari debuit.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod Angelus nuntians fuerit de supremis ordinibus. Dicit enim Gregorius in homil. de centum ovibus (54 in Evang.): *Summum nuntium mitti decuit, qui summum omnium nuntiaret.* Sed illi qui sunt in ordine Seraphim, sunt summi inter Angelos. Ideo per aliquem eorum annuntiatio facta est.

2. Praeterea, Hieronymus dicit, quod ista est questio inferiorum Angelorum mysterium Incarnationis non plene cognoscendum, quae ponitur Isai. 63, 1: *Quis est iste qui venit de Edom?* Sed non potuit nuntiari mysterium Incarnationis nisi per illos quibus plene revelatum est. Ergo annuntiatio per aliquem de supremis Angelis facta est.

Sed contra est quod Ecclesia cantat (in festo Purificat.): *Gabrielem Archangelum scimus divinitus te esse asatum.* Ordo autem Archangelorum est penultimus caelestis hierarchiae, ut patet ex Gregorio, et ex Dionysio. Ergo Angelus nuntians non fuit de supremis ordinibus.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primum quaesitum, quod annuntiatio per Angelum facta est: ejus ratio multipliciter accipi potest. Primo, quia ut dicit Hieronymus (1), Angelus est cognata virginitas; unde decuit ut ad virginem nuntiandam Angelus mitteretur. Secundo, quia perditio humana initium sumpsit ex hoc quod diabolus mulierem allocutus est; unde dicit Beda (in cap. 1 Lucae): *Congruum apparet ad humanae naturae reparationis exordium ut Angelus Virginem alloqueretur* (2). Tertio, quia ille annuntiabat qui est Rex hominum et Angelorum; et ejus nativitas sicut in salutem hominum fuit, ita et in reparationem ruinae angelicae; et ideo decuit ut tam homines quam Angeli huic mysterio ministerium exhiberent.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis quando Filius in mentem mittitur, Angelus in mentem non illabatur; tamen Filio venienti obsequitur praeparans mentem purgandam, illuminando, et perficiendo ad divinae sapientiae susceptionem. Ita e-

(1) Ex Hieronymo quidem in sermone Assumptionis referri solet, sed ejus non est ille sermo . . . est autem Chrysostomi sermo 143, qui de Annuntiatione inscribitur (Ex edit. P. Nicolai).

(2) Nicolai: sive aliter. *Aptum humanae restorationis principium ut Angelus a Deo mitteretur ad Virginem parvi consecrandam deo, quia prima perditionis humanae causa fuit, cum serpens a diabolo mitteretur ad mulierem spiritu superbioris decipiendam: ut in serm. de Annuntiat. videre est.*

tiam et quando Filius in carnem missus est, Angelus non venit ut carnem assumeret, sed ut Virginem instrueret, de qua caro assumenda erat.

Ad secundum dicendum, quod quamvis beata Virgo superior Angelis fuerit secundum acceptionem divinae praedestinationis, tamen eis inferior erat quantum ad statum: quia ipsa in statu vitae erat, Angeli autem in statu patriae. Unde non est inconveniens quod Angelus Virginem instrueret.

Ad tertium dicendum, quod in prima conditione mulier prima non accepit divinum praeceptum nisi per illum virum qui erat principium totius carnalis generationis; unde hoc solum debetur homini Christo, qui est spiritualis regenerationis principium, ut matrem doceat ex qua vita spiritualis in omnes quodammodo processit.

Solutio II. Ad secundam questionem ergo dicendum est quod Angelus nuntians non fuit de suprema nec de media hierarchia, sed de infima; nec de primo ordine ejusdem hierarchiae, sed de medio, qui est ordo Archangelorum. Cujus ratio multiplex patet: primo, quia cum Christus nasceretur, ut inordinationem quae in Angelis acciderat repararet, decuit ut in sua conceptione ordo ille caelestis hierarchiae maxime servaretur, ut scilicet supremi Angeli mediantibus infimos homines illuminarent. Secundo, ut tantum mysterium Incarnationis conveniens esset (1). Cum enim inferiores Angeli agant secundum id quod a superioribus recipiunt, et non (2) e converso, dum inferiores Angeli nuntiant, annuntiatio per superiores ad inferiores expleret: quod non esset, si superiores immediate annuntiarent. Tertio, quia sic salva'r proprietat ordinum, sicut in 2, dist. 9, art. 5 et 4 et 7, dictum est. Infima enim hierarchia officium habet dirigendi homines secundum quandam limitationem; vel unius provinciae sicut ordo Principatum; vel unius hominis, sicut ordines Angelorum et Archangelorum: sed differunt: quia ad Angelos pertinet dirigere in actibus alicujus hominis qui ad ipsum tantum pertinet; unde dicuntur minima nuntiari: ad Archangelos vero pertinet dirigere in actibus alicujus hominis, qui tamen in totam multitudinem redundat; unde et medii sunt inter Principatum et Angelos; quod et eorum nomen ostendit; dicuntur enim Archangeli, quasi principes Angeli. Quia ergo consensus beatae Virginis, qui per annuntiationem requirebatur, actus singularis personae erat in multitudinis salutem redundans, immo totius humani generis, Angelus nuntians de ordine Archangelorum esse debuit, et inter eos summus.

Ad primum ergo contra hoc obiectum dicendum, quod Gregorius non intelligit summum simpliciter, sed summum inter Angelos, secundum quod quilibet Archangelus summus nuntius dici potest: quod patet ex hoc quod praemittit: *Archangelus dicuntur quasi summi nuntii.*

Ad secundum dicendum, quod Angeli inferiores non penitus mysterium Incarnationis ignoraverunt; sed quia non totam profunditatem consilii divini super salutem humani generis capere poterant, inquirebant plenius edoceri, et de hoc in 2 lib., dist. 11, plenus dictum est (art. 4).

(1) Al. ut mysterium Incarnationis tantum conveniens esset. Nicolai omittit tantum. *Forté totum conveniens esset.*
(2) Al. deest non.

Expositio primae partis textus.

Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Virtus Altissimi, secundum expositionem Damasceni sequentem intelligitur Filius, de quo Corinth. 1, dicitur: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam; ut sic in verbis Angeli praenuntiatur duarum personarum adventus in Virginem, scilicet Spiritus sancti ad purgandum et potentiam generativam praestandum, et Filii ad carnem assumendum: propter quod dicit: Obumbrabit tibi virtus.* Virtus enim Altissimi per susceptionem nostrae infirmitatis obumbrata est. Vel dicitur: *Obumbrabit tibi;* ad signandum extinctionem omnimodam fomitis: quia per adventum Filii in ipsam omnes reliquiae fomitis ab ea extirpatae sunt; et haec extirpatio obumbratio dicitur, sicut et fomes incendium: umbra enim (1) contra aestum refrigerium praestat.

Sicut divinum semen. Non dicit simpliciter semen, ut evaret errorem Apollinaristarum qui ponebant Spiritum sanctum in utero Virginis vere sicut semen venisse. In hoc tamen similitudinem seminis habet quod sicut semen est activum in generatione, ita et Spiritus sanctus in conceptione Christi, vel Filius quem virtutem Altissimi dicit.

Nostrae antiquae aspersionis: non quantum ad vetustatem culpae, sed poenae.

Per Spiritum sanctum creans. Contra, creare est ex nihilo aliquid facere. Sed corpus Christi de materia formatum est. Ergo non est per Spiritum sanctum in conceptione creatum. Sed dicendum, quod creatio hic large accipitur pro qualibet operatione supernaturali, quae ipsius tantum Dei est.

Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Videtur instantia esse de puero baptizato, et de adulto, qui statim vere confessus est. — Sed dicendum, quod ad hoc ut veritatem in omnibus habeat dictum Apostoli, dupliciter potest accipi. Uno modo ut per peccatum non tantum intelligatur macula et reatus peccati, sed etiam causa et sequela peccati. In puero enim baptizato, et adulto poenitente manet fomes incitans ad peccandum, et ulterius aliquae dispositiones ex actuali peccato relictae; in Christo autem neutrum horum fuit: caro enim ejus sine corruptione fomitis concepta est; et cum peccatum non fecerit, reliquiae peccati in eo non fuerunt: similiter nec in beata Virgine, quae immunis a peccato actuali fuit; fomes autem etsi essentialiter in ea remansit post primam sanctificationem, tamen ut ligatus, et non ut incitans ad peccatum, ut dictum est. Alio modo potest verificari, ut intelligatur etiam de peccato actuali quo ad reatum et maculam. Etsi enim homo ad breve tempus sine actuali peccato esse possit, non tantum diu sic perseverare potest, ut saltem in veniale peccatum non cadat; ut sic hoc verbum habemus non determinatum, sed confusum praesens importet. In Christo vero et matre ejus nullo modo peccatum actuale locum habuit, nec mortale nec veniale.

Divisio secundae partis textus.

Postquam ostendit Magister conditionem carnis assumptae, et matris de qua assumpta est, hic movet quasdam dubitationes circa determinata; et

(1) Al. autem.

dividitur in duas partes: in prima movet dubitationem circa propagationem carnis Christi ex remotis parentibus, scilicet Abraham et Adam; in secunda movet dubitationem circa conceptionem carnis ejus in proxima matre, ibi: *Illi autem sententiae qua supra diximus, carnem Verbi non ante fuisse conceptam quam assumptam, videtur obviare quod Augustinus ait.* Circa primum tria facit: primo movet dubitationem; secundo solvit eam, ibi: *Quia ea decimatione sicut Abraham minor Melchisedech ostenditur . . . ita et leviticus ordo;* tertio ex solutione elicit quandam conclusionem, ibi: *Quocirca primitias nostrae massae recte assumpsisse dicitur Christus.* Secunda dubitatio dividitur in quaestionem et solutionem. Solutio incipit ibi: *Sed alia ratio illius dicitur existit.*

QUAESTIO IV.

Hic est duplex questio. Prima de propagatione carnis Christi ex antiquis patribus. Secunda de propagatione ejus ex matre.

Circa primum quaeruntur tria: 1.º utrum caro Christi in antiquis patribus fuerit peccato obnoxia, vel ab alia eorum carne secundum differentiam puritatis et infectionis distincta; 2.º utrum caro Christi fuerit in antiquis patribus secundum quantitatem aliquid determinatum, et materialiter in eis existens; 3.º utrum Christus singulariter habeat inter filios Abrahae ut in eo decimatus non sit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum caro Christi in antiquis patribus fuerit peccato obnoxia. — (3 p., quaest. 31, art. 8.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod caro Christi in antiquis patribus peccato infecta non fuerit. Corpus enim caeleste non inficitur nec alteratur ex conjunctione ad aliud corpus. Sed corpus Christi naturae caelestis fuit: quod videtur ex hoc quod dicitur de ipso Joan. 5, 51: *Qui de caelo venit super omnes est.* Ergo caro Christi in antiquis patribus infecta esse non potuit.

2. Praeterea, in littera dicitur, quod Christus primitias nostrae carnis assumpsit. Sed caro humana in primo statu infecta non fuit. Ergo Christus assumpsit carnem nunquam prius infectam.

5. Praeterea, Augustinus (10 super Gen. ad lit., cap. 20), dicit, quod natura humana semper habuit simul eum vulnere vulneris medicinam. Sed quod est corruptum, non potest corruptionis esse medicina. Ergo in humana natura semper fuit aliquid non corruptum vel infectum, unde caro Christi formata est, quae medicina facta est totius humani generis.

4. Praeterea, nihil sanatur a corruptione, nisi in eo aliquid incorruptum remanserit; sicut in aegritudine animalis, cum cor remaneat sanum, ejus virtute membra prius aegra sanantur. Sed corruptio humani generis sanabilis fuit. Ergo in humana natura aliquid incorruptum remanserat. Sed nihil est mundius in humana natura quam caro Christi. Ergo illud de quo formata est caro Christi nunquam in patribus fuit infectum.

3. Praeterea, in divinam sapientiam nihil coinquatum incurrit, ut dicitur Sap. 7. Sed Christus est Dei virtus, et Dei sapientia, ut dicitur 1 Cor. 1. Ergo caro ejus nunquam coinquata fuit.

Sed contra est quod Magister in littera dicit, carnem Christi, priusquam assumeretur, peccato fuisse obnoxiam: et idem habetur ab Hugone de sancto Victore in lib. de Sacramentis (2, part. 4, cap. 7).

Praeterea, caro Christi non processit ab Abraham nisi per semen ex quo conceptus est Isaac. Sed semen illud propter carnalem coitus conceptionem pollutum est originali infectione. Ergo caro Christi, antequam assumeretur, infecta fuit peccato originali.

Praeterea, distinctio qualitatis praesupponit distinctionem naturae subiectae; cum contraria non sint simul in eodem, nec ex eisdem principiis causentur. Sed caro Christi non fuit distincta secundum naturam a carne parentum, a quibus propagata est. Ergo nec secundum qualitatem puritatis et impuritatis; et sic idem quod prius.

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuit duplex haeresis.

Una illorum qui dixerunt, corpus Christi non esse formatum ex eodem ex quo alia caro hominum formatur; sed quod Filius Dei corpus caeleste secum attulit, et hoc modo per uterum Virginis transiit, nihil ex ea sumens. Hoc autem est haereticum dupliciter. Primo, quia derogat veritati Scripturae, quae Christum ex muliere factum et natum dicit; non enim ex ea factus diceretur, nisi ex ea aliquid traxisset unde materialiter ejus caro fieret; et sic nec beata Virgo mater Dei dici posset. Secundo, quia derogat veritati humanitatis Christi. Cum enim omnis forma determinat materiam requirit, si corpus Christi formaretur ex materia alterius generis ab illa materia de qua formatur corpus alterius hominis, non esset corpus ejusdem speciei cum corporibus aliorum hominum; et ita homo acquivocis diceretur, cum sit essentialis pars hominis.

Alius error fuit dicentium, quod caro Christi secundum quod in parentibus erat, infecta non fuit. Dicunt enim, quod peccante Adam, Deus conservavit in illo aliquid incorruptum et non infectum, per quod humana natura sanari posset: et hoc quidem transfusum est sine aliqua infectione usque ad beatam Virginem, et exinde formatum est corpus Christi. Hoc autem erroneum reputatur praecipue propter duo. Primo, quia secundum hanc positionem Christus non esset vere filius Virginis, nec vere ex stirpe alicujus patrum progenitus, nisi solum ex Adam: illa enim pars quae incorrupta in humana natura remansit in hominibus aliis ab Adam, fuisset quasi extraneum ab eis, soli autem Adae connaturale quantum ad primum statum. Secundo, quia tollitur congruus satisfactionis ordo. Sicut enim non erat decessus ut pro Adam et ejus successione corrupta aliqui satisfaceret qui ex illo genere non esset; ita etiam non esset congruum ut naturam infectam satisfaciendo sanaret Dei Filius, nisi hoc ipsum quod prius infectum fuerat, assumpsisset.

Et ideo dicendum est, quod caro Christi, secundum quod fuit in patribus, et etiam in ipsa beata Virgine, peccato infecta fuit antequam assumeretur; sed in ipsa assumptione ab omni infectione peccati purgata est, ut secundum quod est actu caro Christi, in ea nihil maculae invenitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur de caelo venisse, non ratione naturae assumptae, quasi anima vel corpus ejus prius in caelo

fuerit assumpta, et postmodum per uterum Virginis ad nos pervenire; sed quantum ad personam assumptam, quae quidem de caelo ad nos venisse dicitur, non loci mutatione, sed visibilis naturae assumptione.

Ad secundum dicendum, quod Christus dicitur primitias nostrae carnis assumpsisse, non secundum identitatem rei, ut scilicet natura carnis quam assumpsit, semper in conditione primi status remanserit, sed quantum ad similitudinem; quia caro assumpta, prout consideratur actu caro Christi, sine infectione culpae fuit, sicut et caro primi hominis ante peccatum, ut Magister in littera exponit.

Ad tertium dicendum, quod caro Christi in Abraham non fuit ut medicina vulneris in actu, sed solum in potentia, secundum scilicet quod ex eo propagari poterat illa caro ex qua medicina nostri vulneris facta est: et ideo non oportet quod fuerit ibi actu sine infectione vulneris, sed solum in potentia secundum ordinem quo caro Christi ex ea propaganda erat.

Ad quartum dicendum, quod aliquid corruptum est reparabile dupliciter. Vel secundum potentiam passivam tantum; et sic oportet ut remaneat in eo aliquid non corruptum, id est non per corruptionem annihilatum, sicut dicitur contrarium corrumpi per adventum contrarii: oportet enim subjectum remanere cum possibilitate ad salutem quae recuperanda est. Vel secundum potentiam passivam et activam simul, sicut homo infirmus curabilis est quandoque virtute activa naturae suae; et quia idem non patitur a seipso, necesse est ut in eo quod sic reparabile est, sit aliqua pars non corrupta, nec corruptioni subiecta, sicut cor. Dicendum est ergo quod humana natura non erat reparabilis nisi secundum potentiam passivam tantum; et ideo non oportuit quod in ipsa remaneret aliqua pars corruptioni non subiecta; sed sufficit quod in ea remanserit id quod naturae est cum possibilitate ad reparationem, subjectum tamen corruptioni.

Ad quintum dicendum, quod caro Christi actu existens caro Christi, nullo modo fuit infecta; ejus enim emundatio a praecedenti infectione saltem intellectu praecedit assumptionem; unde in divinum sapientiam nihil inquinatum incurrere potuit.

ARTICULUS II.

Utrum caro Christi fuit in antiquis patribus secundum quantitatem determinatam. — (5 p., qu. 51, art. 6.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur, quod caro Christi fuerit in antiquis patribus secundum aliquid demonstrabile determinatum. Ut enim in littera ex Augustino habetur, caro Christi fuit in Abraham secundum corpulentam substantiam. Sed corpulenta substantia nominat aliquid determinatum demonstrabile. Ergo per hunc modum fuit caro Christi in Abraham et in aliis.

2. Praeterea, in formatione corporis Christi duo inveniantur: scilicet ratio formationis, quae est principium activum in conceptione, et materia de qua corpus Christi formatum est. Sed ratio formationis non descendit ab Adam, ut Augustinus (10 super Gen., cap. 20) dicit, sed desuper venit: quia quod in ea natum est, de Spiritu sancto est; Matth. 1, 20. Si ergo ista materia deter-

minata in Adam vel Abraham non fuerit, ullo modo corpus Christi ex primis parentibus non (1) venit: quod est inconveniens, quia non pertineret ad eum satisfacere pro peccato Adae, sicut dictum est. Ergo oportet carnem Christi fuisse in Abraham et Adam secundum materiam determinatam.

3. Praeterea, si haec materia determinata ex qua corpus Christi formatum est non fuit in Adam, hoc non potest esse, nisi quia ex alimento sumpta est. Alimento autem extraneum est a natura humana: quod haereticum est. Videtur ergo quod materia carnis Christi non sit ex superfluo alimentum sumpta, sed ex primis parentibus descenderit.

4. Praeterea, major est convenientia quae est secundum identitatem rei quam quae est secundum proportionem principii ad principiatum. Sed si materia corporis Christi ex superfluo alimentum sumpta est, realiter fuit quandoque materia cibi comesti. Non autem potest dici, quod realiter fuerit in avo vel proavo; etsi forte dicatur, quod ibi fuerit sicut principiatum est virtute in suo principio. Ergo major esset convenientia carnis Christi ad animalia, quorum carnes in cibum sumptae sunt, quam ad Adam vel Abraham; quod est inconveniens. Ergo idem quod prius.

5. Praeterea, illud quod in se mundum est, non est natum inficere aliud corruptione infectione. Sed beata Virgo mundata fuit per primam sanctificationem ab originali infectione. Ergo virtute animae ejus nutrimentum assumptum infici non potuit, nec alias infectum erat tali infectione quae extra humanam naturam non invenitur. Ergo caro Christi non in beata Virgine peccato subiacisset; quod est erroneum, ut dictum est. Ergo caro Christi ex superfluo alimentum non fuit materialiter; et sic idem quod prius.

Sed contra, Christus non aliquo modo fuit in parentibus quo alii homines ibi non fuerunt; sed e converso alii homines aliquo modo ibi fuerunt quod Christus non fuit. Sed alii homines non fuerunt in primis parentibus secundum materiam determinatam. Ergo nec Christus in eis hoc modo fuit. Probato mediae. Alii homines non descendunt a suis parentibus nisi mediante semine. Semen autem, ut probat Philosophus (13 de Animalibus, vel 1 de Generat. animal., cap. 18), non est aliquid decisum quod fuerit actu pars, sed est superfluum alimentum, quod est potentia totum. Ergo aliorum hominum materia non fuit determinata in Adam quasi actu pars ejus existens.

Praeterea, generatio secundum naturam in infinitum possibilis est secundum naturam, hoc modo quod homo ex homine generetur. Si ergo aliqua materia determinata sumatur ex qua omnis caro decisa sit, oportet quod infinitorum materia in aliquo finito fuerit. Hoc autem est impossibile. Ergo impossibile est quod omnium hominum caro et Christi fuerit in Adam secundum determinatam vel signatam materiam. Quod autem impossibile sit, sic probatur. Cujuslibet rei naturalis materia determinatam quantitatem exigit; non enim in quacumque parva materia potest induci quaecumque forma. Sed infinita non possunt esse in aliquo finito, nisi secundum quantitatem non determinatam accipian-

tur divisione facta, sed semper secundum eandem proportionem, ut scilicet totius sumatur dimidium, et dimidii dimidium, et sic in infinitum: sic enim secundum eandem proportionem secundo acceptum erit alterius quantitatis quam primo acceptum. Ergo impossibile est quod infinitorum corporum naturalium materia sumatur ex aliquo uno finito in actu.

Praeterea, in omni generatione naturale agens univoce inducit formam suam in materiam quae prius tali formae subiecta non erat, sicut ignis in materiam aeris, quae prius formae ignis subiecta non erat. Sed si materia ex qua ille homo formatur secundum aliquid signatum in Adam fuerit, et in ceteris parentibus; nunquam ejus materia fuisset humanae naturae non subiecta. Ergo iste modus generationis non esset convenientis secundum viam generationis naturalis: et sic idem quod prius.

Solutio. Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt duae opiniones. Una opinio dicit, quod caro Christi et omnium aliorum hominum fuit in Adam secundum determinatam materiam hoc modo quod aliqua pars corporis Adae fuit de qua per multiplicationem quamdam omnium hominum corpora formata sunt, aut sine permixtione alicujus extranei, ut quidam dicunt, aut permixto illi materiae aliquo quod ex alimento conversum est: et de hoc qualiter improbable videatur, in 2 lib., dist. 50, qu. 2, art. 2 et 5, dictum est.

Alia opinio est (quae probabilior videtur), quod alii homines non fuerunt in primo parente nisi secundum materiam originalem; et Christus hoc modo in primis parentibus fuit. Sed in hoc differt, quod alii homines fuerunt in primo parente secundum rationem seminale, Christus autem non: quod sic videri potest. In his qui per conebitum generantur, duo concurrunt ad formationem corporis: scilicet principium activum, quod est in semine, quod ratio seminalis dicitur: aliud autem est materia ex qua corpus formatur, quam mater ministrat: utrumque autem horum originaliter reducit in primum parentem. Quod enim in semine patris sit virtus activa ad conceptionem corporis humani, est per virtutem naturae humanae, quam pater proles procreandae a suo patre accipit, et ille ab alio, et sic usque ad Adam. Et sic patet quod ratio seminalis eorum qui sunt ex semine viri concepti, originaliter ab Adam descendit. Similiter etiam materia quam mater ministrat, oportet quod sit praeparata per virtutem generativam ejus: rei enim generatio naturalis requirit materiam propriam et determinatam: virtus autem generativa ipsius matris originaliter ab Adam descendit, sicut et virtus generativa viri; et ideo illi qui ex mare et femina generantur, descendunt originaliter ab Adam et secundum rationem seminale, et secundum materiam originalem. In conceptione autem Christi virtus activa non fuit nisi Spiritus sanctus; materia autem est per Virginem ministrata debito modo praeparata. Unde patet quod originaliter materia corporis Christi descendit ab Adam, non autem ratio activa in conceptione ejus ab Adam descendit originaliter; et ideo Christus fuit

(4) *Al. deest non.*
S. Th. Opera omnia. V. 7.

in Adam secundum materiam originalem, sed non secundum rationem seminalem (1).

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur Christus fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam, non est intelligendum quod in Adam fuerit per modum corpulentae substantiae; sed quia ipsa corpulenta substantia corporis Christi aliquo modo fuerit in Adam sicut in originali principio.

Ad secundum dicendum, quod materia corporis Christi, non autem ratio conceptionis ejus, fuit in Adam: non tamen materia illa fuit in Adam in actu, quasi aliqua determinata pars ejus, sed virtute tantum, sicut res dicitur esse in suo principio effectivo unius speciei.

Ad tertium dicendum, quod materia corporis Christi assumpta est ex eo quod de cibis a beata Virgine sumptis in purissimos sanguines ejus conversum est. Alimeatum autem quamvis in principio sit extraneum et dissimile, tamen in fine est conveniens et simile, ut in 2 de Anima (text. com. 43) dicitur; unde non sequitur quod materia corporis Christi sit extranea humanae naturae.

Ad quartum dicendum, quod similitudo et convenientia, magis attenditur secundum formam quam materiam; ut si ignis generet ex aere ignem, ignis generatus magis convenit cum igne generante, cum quo convenit secundum formam, quam cum aere ex quo materialiter generatus est. Similiter etiam materia corporis Christi magis convenit cum beata Virgine et aliis patribus, quorum virtute effecta est propria materia corporis humani, quam cum rebus illis quae in cibum sumptae sunt.

Ad quintum dicendum, quod per primam sanctificationem, ut supra dictum est, beata Virgo a fomite mundata fuit secundum quod inclinatum ad actus personales, non autem remota est illa inclinatio secundum quam fomes est infectivus naturae: sed hoc factum est per secundam sanctificationem, ut quidam dicunt; et ideo illud quod erat in beata Virgine ut ordinatum ad propagationem naturae, peccato obnoxium erat; quamvis erat a peccato mundatum, secundum quod ad personam pertinebat.

ARTICULUS III.

Utrum solus Christus in Abraham non fuerit decimatus. — (5 p., qu. 51, art. 8.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur, quod nullus qui de stirpe Abrahae descendit, in ipso decimatus sit. Quia, ut dicit Augustinus (10 super Gen., cap. 20), quod in eo decimabatur, curabatur. Sed nullus in parentibus curari vel sanctificari potest, ut supra dictum est. Ergo nullus in Abraham decimari potuit.

2. Praeterea, sicut post tempora Abrahae in illis qui ex ejus stirpe descenderunt, valuit circumcisio ad peccati originalis curationem; ita etiam ante ipsius tempora valuit ad idem virtus sacrificiorum, decimarum, et oblationum, ut dicit Gregorius in Moral. (lib. 4, cap. 5). Sed quando Abraham circumcisus est, non propter hoc aliquis de stirpe ejus descendens circumcisus fuit: alias eos non oportuisset iterum circumcidi. Ergo nec Abraham dante decimas, ejus filii decimati sunt.

(1) Al. secundum rationem originalem, sed non secundum materiam seminalem.

3. Praeterea, decimari aut est decimas dare, aut ad decimas obligari, aut decima parte privari, sicut dicitur granum decimatum a quo jam decima pars ablata est. Sed primo modo non potest dici quod aliquis in patre suo decimetur. Dare enim decimas est quidam actus personalis. Sed actus personales non transfunduntur a parentibus in filios, sicut nec peccata actualia. Ergo Abraham dante decimas, non propter hoc filius ejus decimatus est quasi dans decimas. Similiter nec secundo modo. Levitae enim et sacerdotes veteris legis ab Abrahae stirpe descenderunt, qui tamen ad decimas dandum non obligabantur, sed eas a populo accipiebant. Ergo nec sic omnes filii Abrahae praeter Christum in ipso decimati sunt, quasi ad decimas obligati. Similiter nec tertio modo. Quia decimatio respicit id quod est in actu distinctum; unde tritium non potest esse decimatum ex hoc quod semen decimatum fuit. Sed filii Abrahae non erant in eo actu distincti, sed tantum virtute. Ergo nullo modo in eo decimari poterunt.

Sed contra est, quod Apostolus, ad Heb. 7, dicit, et in littera ex verbis Augustini habetur.

Praeterea, decimatio quoddam signum servitutis divinae est, cum ad latrām pertinet. Sed proles in parente ad servitutem obligatur: servi enim sunt filii, si ex servis parentibus nascantur. Ergo Abraham dante decimas, filii ejus decimati sunt.

QAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod etiam Christus in Abraham decimatus sit. Christus enim non habet habitudinem ad Abraham nisi mediante beata Virgine. Sed beata Virgo fuit in Abraham decimata. Ergo et Christus.

2. Praeterea, decimatio convenit filiis Abrahae ex eo, ut in littera habetur, ratione peccati originalis: quia per concupiscentiam ex eo peccandi erant. Sed caro Christi in Abraham fuit peccato obnoxia, ut in littera dicitur. Ergo et in eo Christus decimatus fuit.

3. Praeterea, decimatio est quidam actus figuralis. Sed Christus videtur maxime per decimam figurari ratione perfectionis Christi, quae denario competit. Ergo Christus praecipue in Abraham fuit decimatus.

Sed contra, Apostolus, Heb. 7, praefert sacerdotium Christi sacerdotio Aaron per hoc quod Levi ex ejus stirpe Aaron descendit, Abraham dante decimas decimatus est. Sed Christus in hoc nihil amplius haberet quam Aaron, si in Abraham similiter decimatus esset. Ergo nullo modo in eo decimatus fuit.

Praeterea, quod multiplicatur miraculose, et non virtute naturae, non est decimabile, ut patet 4 Regum 4: quia Eliseus non praecipit viduae, ut de oleo quod miraculose multiplicatum erat, decimas daret. Sed caro Christi ex Abraham miraculose propagata est. Ergo Christus in Abraham decimatus non fuit.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod illi qui ex Abraham per concubitum descenderunt, in Abraham decimati sunt; Christus autem in eo decimatus non est. Cujus ratio est, quia decimatio non tantum erat actus moralis, sed etiam figuralis; est enim actus moralis secundum hoc quod pars quaedam terrae na-

scientium, et aliorum, in usum ministrorum Dei et pauperum conferbatur, ut esset cibus in domo Domini, ut habetur Malach. 5. Actus autem figuralis est secundum hoc quod figurat imperfectionem in eo qui decimas dat, qui perfectionem ab eo cui dat expectat. In numero enim denario est quaedam perfectionis ratio, secundum quod limes quidam est; unde novenarius imperfectionem signat, secundum quod a denario deficit; et ideo qui decimas dat, in hoc quod novem sibi retinet, et decem alteri dat, confitetur se imperfectum esse, et perfectionem ab altero expectare; et inde est quod etiam decimatio quodammodo actus sacramentalis erat, secundum quod dicta realis confessio ex fide Mediatoris procedebat, per cuius perfectionem ablata est humani generis imperfectio quae erat per originale peccatum; hoc enim figurabat (1) remedium quod contra originale peccatum praestabat per modum sacramenti. Illa ergo decimatio qua Abraham decimas dedit ostendens se liberatore indigere, ad illos tantum pertinet ex ejus stirpe descendentes qui imperfectionem originalis peccati ex eo traxerunt, ut similiter sicut ipse liberationem ab alio expectarent. Non autem originale peccatum ab eo traxerunt nisi qui per concubitum ex eo descenderunt; solum enim hi naturam humanam ab eo sicut a principio activo acceperunt. Unde et in eo secundum rationem seminalem fuisse dicuntur: et propter hoc etiam simul cum natura, naturae vitium contraxerunt ab Adam vel Abraham. Christus vero ab Adam vel Abraham non per concubitum descendens materiam humanae naturae ab eis habuit, quae virtute Spiritus sancti in humanam naturam formata est; et ideo non contraxit originale peccatum; et ideo non potuit figurari ut imperfectionem habens, et liberatore indigens; et propter hoc non est decimatus in Abraham.

Ad primum ergo dicendum, quod in verbo Augustini hoc quod dicit, *curabatur*, non designat curationem in actu; sed curationis necessitatem: qui enim sic in eo erant ut curatione indigerent, in eo decimati sunt.

Ad secundum dicendum, quod nullus dicitur circumcidi nisi secundum quod actu aliquid patitur. Decimari autem dicitur aliquis etiam secundum praefigurationem. Unde non est simile de decimatione et circumcissione.

Ad tertium dicendum, quod decimari nullo horum modorum accipitur: sed decimari nihil aliud est, prout hic accipitur, quam praefigurari liberatione indigere. Hoc autem praefigurabatur in Abraham dante decimas de omnibus qui peccatum originale ab eo contracturi erant, sicut ipse a suis parentibus contraxerat, ut eadem ratione imperfectio liberatione indigens in illis figuraretur qua in se esse per decimarum collationem conlabeatur.

Quantum et quantum concedimus.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod Christus nullo modo in Abraham decimatus fuit: cuius ratio patet ex praedictis.

Ad primum ergo dicendum contra hoc obiectum, quod quia Christus non descendit ab Abraham nisi mediante beata Virgine; ideo sicut descendit a beata Virgine, ita descendit ab Abraham; unde eum a beata Virgine descenderit non per concubitum, nec ab Abraham per concubitum descen-

(1) Al. figurando.

dit; quamvis beata Virgo ab Abraham per concubitum descenderit. Unde non sequitur quod si beata Virgo in Abraham decimata fuit, in eo Christus decimatus fuerit.

Ad secundum dicendum, quod id quod est in potentia, potest praefigurari mundum vel immundum. Esse autem mundum vel immundum non convenit nisi rei actu existenti. Quia ergo quod in Abraham actu erat, totum peccato subiacebat; ideo caro Christi in Abraham peccato obnoxia fuit. Quia vero ex Abraham caro Christi non sic propaganda erat ut ex eo infectionem originalem contraheret; ideo in eo Christus decimatus esse non dicitur; cum decimatio, in quantum figurale quoddam est, referri possit etiam ad illud quod virtute erat in Abraham.

Ad tertium dicendum, quod decima pars quae Deo redditur, non dicitur proprie decimari; sed magis novem partes, a quibus decima separatur; et ideo Christus per decimam signatus decimari non dicitur, sed alii imperfectionem contrahentes per novenarium designati.

Alia duo concedimus.

QAESTIO V.

Deinde quaeritur de propagatione carnis Christi ex matre ejus; et circa hoc quaeruntur tria: 1.º de materia ex qua conceptum est corpus ejus; 2.º de tempore conceptionis; 3.º de sanctificatione concepti.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum corpus Christi fuerit ex purissimis Virginis sanguinibus. — (5 p., qu. 51, art. 3.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur, quod corpus Christi non fuerit formatum solum ex purissimis sanguinibus Virginis, sicut Damascenus dicit (de Fide, lib. 5, cap. 2). Eorum enim quae specie conveniunt, est materia ejusdem rationis: quia forma naturalis materiam determinatam requirit. Sed aliorum hominum materia est ex eo quod ex viro et muliere deicitur. Cum ergo Christus, in quantum homo, fuerit ejusdem speciei cum aliis hominibus, videtur quod corpus ejus non solum ex sanguinibus matris Virginis formatum sit.

2. Praeterea, ad Rom. 1, 5, dicitur: *Factus est ei ex semine David secundum carnem*. Sed id ex quo fit aliquid, est materia ejus. Ergo materia corporis Christi non est sanguis, sed semen.

3. Praeterea, in collecta dicitur (in festo annunt. B. Virg.), quod Deus Verbum suum de Virgine carnem sumere voluit. Sed de illo corpus Christi formatum est quod de Virgine sumpsit. Ergo corporis Christi materia non est sanguis, sed caro.

4. Praeterea, ut in 2 de Generat. (text. com. 54) dicitur, *quae magis conveniunt, facilius invicem transmutantur*. Sed magis convenit cum carne caro quam sanguis. Ergo convenientius est dicere corpus Christi ex carne Virginis formatum esse quam ex ejus sanguine.

3. Praeterea, generativa non operatur nisi ex eo quod residuum est nutritivae virtutis; cum nutritiva generativae deserviat. Sanguis autem non est residuum ab opere nutritivae; immo est quo

nutritiva indiget in via existens ad nutriendum membra. Ergo sanguis non potest esse materia a virtute generativa ministrata ad conceptionem prolis: et sic idem quod prius.

Sed contra est quod dicit Damascenus (loc. cit.), quod divina sapientia ex purissimis sanguinibus Virginis carnem sibi copulavit.

Praeterea, corpus Christi non est formatum nisi ex materia quam Virgo ministravit, talem in natura qualem aliae matres ministrant ad conceptum prolis. Sed, ut in 13 de Animalibus (1 de Gener. animal., cap. 20) dicitur, materia ex qua corpus conceptum formatur, quam mater ministrat, est sanguis, qui menstruum dicitur. Ergo et corpus Christi ex sanguine formatum est.

Solutio. Respondeo dicendum, quod circa materiae de qua corpus hominis formatum est, variae sunt opiniones. Quidam enim dicunt, quod corpus humanum formatur ex commixtione seminum, scilicet matris et patris simul, cum sanguine menstruo; ita quod totum hoc sit materia corporis. Hoc autem Philosophus, in 13 de Animalibus (ut sup.), multipliciter destruit, ostendens, quod id quod ex viro descendit, non est materia humani corporis, sed solum principium activum, et per rationem, et experimenta sensibilia, quae magis in rebus naturalibus faciunt fidem: et hoc patet insipienti verba ejus. Similiter etiam ostendit quod semen mulieris nihil facit ad generationem; unde etiam et quaedam mulieres concipiunt sine hoc quod seminat. Sed sanguis qui menstruum dicitur, est in mulieribus loco seminis in viris. Et secundum hanc Philosophi opinionem convenientissime potest salvari partus Virginis, si ad conceptionem humani corporis non nisi sanguis mulieris materialiter requiritur: non enim credendum est quod materiae corporis Christi, quod sine semine viri conceptum est, aliquid defuerit quod materialiter ad formationem humani corporis requiratur. Constat etiam omnibus virginitatem matris confidentibus, absque omni humano semine conceptionem illam peractam esse. Et ideo materia ex qua corpus formatum, et in Christo et in aliis hominibus est sanguis per virtutem generativam matris praeparatus. Ille enim sanguis in mulieribus est sicut semen in viris; unde et in eodem tempore hoc in viris et illud in mulieribus incipit, scilicet apud ortum pilorum, et aliorum accidentium quae sunt signa pubertatis. Sed quia in muliere est calor generativae de-eruens diminutus respectu calor viri, ideo non potest in mulieribus superfluum alimentum ad tantam digestionem perducere sicut in viris: propter quod remanet in forma sanguinis, sicut deficiens a completa digestionem seminis; unde accidit in aliquo multum coeunte ut sanguinem loco seminis emittat, ut in 13 de Animalibus (ubi sup., cap. 19) dicitur; quasi natura non sufficiat ad tantum seminis digerendum quantum incontinentia quaerit.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in 13 et 16 de Animalibus (vel lib. 1, cap. 20, et 2, cap. 1, de Gener. animal.), illud quod a viro emittitur, non efficitur materia in generatione, sed tantum activum; unde relinquitur quod ex solo sanguine mulieris materialiter corpus humanum formetur, tam in Christo quam in aliis hominibus.

Ad secundum dicendum, quod Christus ex se-

mine David dicitur factus secundum carnem, non sicut ex immediata materia; sed quia materia ex qua corpus Christi formatum est, originaliter ex semine David descendit.

Ad tertium dicendum, quod assumptio habet duos terminos, scilicet a quo, et in quem. Dicitur ergo Dei Verbum ex Virgine carnem assumpsisse, non quantum ad terminum a quo, quasi prius esset in specie carnis quam assumeretur; sed quantum ad terminum ad quem: quia materia illa simul assumpta est et in carnem formata.

Ad quartum dicendum, quod quamvis caro cum carne magis conveniat secundum similitudinem speciei; tamen sanguis, ex quo formatur corpus, magis convenit cum carne et reliquis partibus corporis secundum proportionem potentiae ad actum, quam caro cum carne; sanguis enim ille est potentia totum, secundum potentiam passivam, sicut et semen est potentia totum secundum potentiam activam; caro autem non est potentia totum, cum sit actu pars ultimum complementum habens jam per ultimam digestionem. Haec autem convenientia praecipue requiritur ad hoc quod aliquid ex aliquo fiat: domus enim facilius construitur ex caemento et lapidibus specie differentibus, quam ex alia domo ejusdem speciei; ex qua domus construi non potest, nisi in lapides resolvatur.

Ad quintum dicendum, quod sanguis qui humani corporis materia ponitur, non est absolute talis qualis per actum nutritivae generatur ex cibo; sed hoc quod de illo sanguine residuum est ab ultima digestionem nutritiva, in feminis generativae ministrat, quae ipsum praeparat, ut sit debita materia corporis humani.

ARTICULUS II.

Utrum conceptio corporis Christi fuerit subito, vel successiva. — (5 p., quaest. 53, art. 1.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod conceptio corporis Christi non fuerit subito, sed successive completa. Heb. 2 dicitur, quia Christus debuit per omnia fratribus similari. Sed alii homines, qui fratres ejus dicuntur ibidem, successive concipiuntur. Ergo et Christi conceptio debuit esse successiva.

2. Praeterea, tempus generationis ejuslibet rei est determinatum secundum speciem suam, ut ex 2 de Generatione (text. 37) haberi potest. Sed Christus fuit ejusdem speciei cum aliis hominibus. Ergo sicut aliorum hominum generatio determinata tempore perficitur, ita et Christi.

3. Praeterea, ut in 2 de Anima (text. 41) dicitur, eicunque rei naturali debetur determinata magnitudo. Sed corpus Christi non potuit in principio conceptionis suae habere tantam magnitudinem quantum naturae hominis debetur: alias tempore illo non crevisset in utero Virginis in quo alii crescunt, vel minori tempore a Virgine portatus esset quam alii homines portantur; quod non tenet Ecclesia. Ergo in principio suae conceptionis nondum erat in specie humana, in qua fuit in termino conceptionis. Ergo principium conceptionis est aliud a termino ejus. Omnis autem mutatio quae habet prius et posterius, est successiva. Ergo conceptio Christi fuit successiva.

4. Praeterea, corpus Christi ex Virginis sangui-

nibus formatum est. Aut ergo in eodem instanti fuit sanguis et caro; et sic eadem materia simul erit sub duobus formis substantialibus disparatis, quod est impossibile: aut in alio et in alio instanti. Sed inter quaelibet instantia est tempus medium, ut in 6 Physic. (text. 26, et seq.) probatur. Ergo conceptio Christi tempore mensuratur, et non est subito peracta.

5. Praeterea, concipi est quoddam fieri, sicut conceptum est quoddam factum esse. Nihil autem in permanentibus simul sit et factum est: alias simul aliquid esset et non esset: quod enim fit in permanentibus non est: quod autem factum est, jam est. Ergo in carne Christi non simul fuit concipi et conceptum esse: et sic fuit ibi prioris et posterioris successio.

Sed contra: conceptionis principium esse non potuit antequam conceptionis activum in Virgine esset. Sed conceptionis activum fuit in ipsa divina sapientia, quae ex sanguinibus Virginis carnem sibi copulavit, ut dicit Damascenus (ubi supra). Ergo non potuit prius conceptio incipere quam in utero Virginis divina sapientia descendisset. Sed, sicut dicit Gregorius in Moral. (lib. 18, vel in novis 27), Spiritu adveniente, mox Verbum in utero, mox intrat Verbum caro factum. Ergo conceptio carnis incipere non potuit antequam caro esset. Sed ad speciem carnis terminata est conceptio. Ergo non prius incipit conceptio quam terminata esset; et ita sine successione fuit.

Praeterea, conceptio Christi facta est virtute divina, quae infinita est. Sed virtutis infinitae est subito suum effectum producere. Ergo conceptio Christi subitanea fuit.

Solutio. Respondeo dicendum, quod conceptio Christi secundum fidem oportet quod subito facta ponatur: non enim humana natura prius assumpta fuit quam in sua specie perfectior, cum partes ejus non sint assumptibiles nisi ratione totius, ut patet ex dictis in 2 dist., quaest. 2, art. 3, quaestione 1. Proprietates autem et accidentia humanae naturae non dicuntur de Filio Dei ante assumptionem. Ergo quidquid humanum de Filio Dei dicitur, completionem humanae naturae non praecessit. Conceptio autem de Filio Dei dicitur, ut patet in symbolo: *Qui conceptus est de Spiritu sancto etc.* Ergo oportet ut conceptio in Christo non praecedat tempore completionem naturam carnis ejus: et ita relinquitur quod simul concipiebatur et concepta est: propter quod oportet illam conceptionem subitanam ponere, ita quod haec in eodem instanti fuerunt, scilicet conversio sanguinis illius materialis in carnem et alias partes corporis Christi, et formatio membrorum organicorum et animatio corporis organici, et assumptio corporis animati in unitatem divinae personae. In aliis autem haec successive contingunt, ita quod maris conceptio non perficitur nisi usque ad quadragesimum diem, ut Philosophus in 9 de Animalibus (1) dicit; feminae autem usque ad nonagesimum. Sed in completionem corporis masculi videtur Augustinus superaddere sex dies, qui sic distinguuntur, secundum eum in epistola ad Hieronymum (2).

(1) Sic etiam in ms. indicatur; sed non occurrit nisi 7 de Histor. animalium, qui 7 de Animalibus juxta veterem inscriptionem respondet (*Ex edit. P. Nicolai*).

(2) Lib. 83 qq., quaest. 56: nihil enim de hoc in epistola ad Hieronymum (*Ex edit. P. Nicolai*).

Semen primis sex diebus quasi lactis habet similitudinem; novem diebus vertitur in sanguinem; deinde duodecim diebus solidatur; decem et octo diebus formatur usque ad perfecta membrorum lineamenta; et hinc jam reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augetur; unde versus:

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terti,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

In Christi autem conceptione materia quam Virgo ministravit, statim formam et figuram humani corporis accepit, et animam, et in unitatem divinae personae assumpta est.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus per omnia fratribus assimilari debuit in his quae necessaria erant ad eorum reparationem. Hujusmodi autem sunt ea in quibus veritas humanae naturae consistit, scilicet partes essentiales ejus, et proprietates naturales, et passiones quibus opus redemptionis explendum erat. In aliis autem excellere debuit ut hominum salvator.

Ad secundum dicendum, quod determinatum tempus generationis alicui speciei debitum non sequitur veritatem speciei in re generata, sed virtutem generantis in specie illa; et ideo quamvis Christus in veritatem humanae naturae conceptus fuit, quia tamen conceptio illa non est facta per actionem alicujus virtutis humanae, ideo non oportet quod idem tempus debeatur conceptioni Christi quod conceptionibus aliorum.

Ad tertium dicendum, quod quantitas determinata alicujus speciei non est determinata secundum aliquid indivisibile; sed habet aliquam latitudinem: quia in specie humana invenitur major et minor quantitas, et in eodem individuo secundum diversa tempora, et in diversis, ut ad sensum patet. Minimum autem quantitatis in uno individuo est in primo instanti suae figurationis et animationis; quae quantitas adeo parva est quod parum excedit quantitatem formicae, ut dicit Philosophus (in 9 de Anim. ut supra), quod in quadragesima die muliere pariente (1) abortum, inventum est corpus prolis omnia membra distincta habere, quamvis in quantitate esset sicut magna formica. Maxima autem quantitas in aliquo individuo est in ultimo termino augmenti: et sicut maximum differt in diversis, ita etiam proportionaliter illud minimum. Potuit ergo esse ut corpus Christi in primo instanti conceptionis perfectae figuratum, haberet quantitatem sufficientem suae speciei; minorem tamen quam sibi deberetur in principio suae humanitatis si naturaliter conceptus esset, respectu quantitatis quam habuit in completa aetate proportionaliter aliis hominibus; ita quod usque ad quadragesimum aut quadragesimum sextum diem crescendo pervenerit usque ad quantitatem illam quae in eo debuit esse minima proportionaliter aliis hominibus; et deinceps crevit sicut et alii homines crescent; ita quod totum tempus quo in utero matris fuit, augmento corporis ejus servivit, quod in aliis servit conversioni, figurationi, animationi, et augmento.

Ad quartum dicendum, quod hoc est universaliter verum in quolibet motu continuo, quod non est accipere ultimum instans in quo id quod movetur distet a termino ad quem, quamvis posset

(1) *Al. patiente.*

accipi primum instans in quo est in termino ad quem, ut patet ex 8 Physic. (text. 69). Verbi gratia, si aliquid movetur de nigredine in albedinem, in ultimo instanti temporis mensurantis motum illum albedo inest mobili: ultimus etenim terminus temporis respondet ultimo termino motus; sed in omni eo quod de dicto tempore accipitur ante ultimum instans, mobile ab albedine distat. Non est autem accipere ante ultimum instans temporis, secundo ultimum instans; cum inter quaelibet duo instantia sit tempus medium, ut 6 Physicorum (text. com. 27) probatur; unde non est accipere instans in quo id quod fit album, sit non album. Et similiter est in mutationibus, quae quamvis non sint motus, tamen aliquem motum consequuntur; sicut generatio sequitur alterationem, et illuminatio motum localem solis; non est enim accipere ultimum instans in quo id quod fit ignis sit non ignis; neque instans in quo aer qui illuminatur, sit tenebrosus; eo quod terminus a quo in istis mutationibus inest transmutato in toto tempore mensurante motum, cui mutatio non conjungitur sicut terminus, nisi in ultimo instanti illius temporis. Dico ergo, quod conceptio Christi quamvis non sit motus, quia successionem non habet; tamen conjungitur quidam motui locali, saltem motui locali sanguinis materialis ad locum generationis, ubi undique congregatus est; et in ultimo termino illius motus materia illa fuit sub specie corporis Christi; et sic est accipere primum instans in quo corpus Christi fuit; sed in toto tempore praecedenti hoc instans, erat sanguis; unde non est accipere ultimum instans in quo sanguis erat, sed ultimum tempus. Tempus autem continuatur instanti sine hoc quod cadat aliquod medium, sicut nec inter lineam et punctum necesse est medium cadere; unde forma sanguinis et forma corporis Christi continue successerunt sibi in illa materia: neque oportet aliquod medium tempus ponere, ut conceptio successiva iudicaretur.

Ad quantum dicendum, quod fieri dupliciter potest accipi. Uno modo secundum quod pertinet ad motum praecedentem esse rei quae fieri dicitur; et sic oportet quod fieri rei praecedat duratione factum esse, ut objecto probat. Alio modo dicitur fieri ipsa terminatio motus, esse inducentis; sicut illuminari signatur per modum fieri, et hoc ipsum quod dicitur terminari; et huiusmodi fieri non praecessit tempore factum esse, nec differt ab eo nisi ratione: hoc enim quod est esse illuminatum, si consideretur secundum se, signatur ut factum esse, ut cum dicitur illuminatum; si autem consideretur prout est aliquid motus praecedentis, scilicet terminus, sic signatur ut in fieri, ut cum dicitur illuminari; et ideo non est verum hoc dicere nisi in primo instanti in quo motus praecedens terminatur; quamvis semper postea verum sit dicere, hoc factum esse. Sic autem acceptum fieri non oportet quod sit non esse, sed quod sit nunc primo esse; et per hunc modum de Christo verum est dicere, simul concepti et conceptum esse; unde non (1) oportet quod conceptio fuerit successiva.

(1) Al. deest. non.

ARTICULUS III.

Utrum Christo sanctificari conveniat, scilicet ut indigeret sanctificatione. — (3 p., quaest. 54, art. 1.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur, quod Christo sanctificari non conveniat. Quia, ut dicitur Hebr. 7, 26: *Talis decebat ut esset Pontifex nobis qui non habet necessitatem, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo.* Sed Christus sicut venit orare et hostiam offerre pro populo; ita et sanctificare populum. Ergo nec indiguit ut ipse sanctificaretur.

2. Praeterea, in quolibet ordine primum movens est immobile. Sed Christus est principium totius humanae sanctificationis. Ergo ipse sanctificatus non est.

3. Praeterea, omne quod fit, fit ex contrario: generationes enim, secundum Philosophum (8 Physic., text. 62), ex contrariis sunt. Sed Christus ab omni peccato, quod sanctitati contrariatur, immunis fuit. Ergo Christus sanctificari non dicitur.

4. Si dicatur, quod caro ejus antequam esset assumpta, fuit obnoxia peccato, ut in littera dicitur; unde ratione emundationis ejus Christus sanctificari dicitur: contra. Hoc nomen *Christus* est hypostasis in duabus naturis subsistens. Ergo nihil potest dici de Christo quod unionem illam praecesserit. Sed infectio cui in patribus caro ejus obnoxia fuerat, solum ante unionem fuit. Ergo ratione illa non potest dici Christus sanctificatus.

Sed contra est, quod dicitur Joan. 10, 36: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.* Ergo Christus sanctificatus est.

Praeterea, Christus dicitur unctus. Sed spiritualis unctio causa est sanctitatis. Ergo et sanctificatus dici potest.

Solutio. Respondeo dicendum, quod sanctificari est sanctum fieri. Potest autem aliquis sanctus fieri dupliciter: vel ex sancto, vel ex non sancto. Ex sancto iterum dupliciter: vel ex minus sancto magis sanctum, ut dicitur Joan. 17, 17: *Pater sanctifica eos in veritate*; Apostoli enim tunc sancti erant: vel secundum continuationem sanctitatis eadem quantitate servata, et hoc modo Christus potest esse sanctificatus, sicut ipse ibidem, 20, dicit: *Ego pro eis sanctifico meipsum*; eo quod continuatio ratione successionis quendam modum sanctificationis habet. Sed hic modus loquendi non videtur consuetus; unde sic de sanctificatione non loquimur. Ex non sancto etiam dicitur aliquis sanctus fieri dupliciter; vel ex non sancto contrarie aut privative, sicut per gratiam peccator sanctificari dicitur; et hoc modo Christus non potest dici esse sanctificatus, quia non potest accipi cum consistentia subjecti defectus sanctitatis in eo fuisse: simul enim fuit homo et sanctus homo: vel ex non sancto negative; et hoc adhuc distinguendum est: quia vel dicitur ex non sancto sanctus factus ratione creatae sanctitatis, quae hominis est; et sic dicitur Christus sanctus factus, sicut et homo factus: aut ratione sanctitatis increatae; et sic dicitur sanctus factus per modum quo homo dicitur factus Deus; quae vel est falsa, vel minus proprietatis habens quam prima, scilicet, *Deus factus est homo*, ut infra, distinet. 7, patet; et ita concedi potest in aliquo sensu Christum sanctificatum esse.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Christus non indiguit ut pro se oraret, vel hostias offerret; ita nec indiguit ut hoc modo sanctificaretur quo alios sanctificare venerat, scilicet per purgationem peccatorum. Per hoc tamen non removetur quin ipse a tota Trinitate sanctus sit factus homo, cum prius nec homo, nec sanctus homo fuerit.

Ad secundum dicendum, quod primum movens in aliquo ordine mobilium non oportet esse immobile simpliciter, sed immobile secundum idem genus motus; sicut caelum quod est primum alterans, movetur quidem, sed non alteratur: non enim est primum movens simpliciter. Similiter etiam Christus, secundum quod homo, non est primum sanctificans simpliciter, sed Deus Trinitas; est autem primum sanctificans in quantum homo, per modum satisfaciens pro peccato; et sic sanctificatus non est; aliquo tamen modo sanctificatus est.

Ad tertium dicendum, quod non oportet omne quod fit, ex contrario fieri, sed solum quod fit per viam generationis et alterationis; oportet tamen omne quod fit, ex incontinenti fieri, ut in 1 Physic. (text. 44, 43, 46) dicitur, id est quod non contingit simul inesse. Sic autem contingens non est solum contrarium vel privatio quae requirunt subjectum, sed etiam negatio, quae consistentiam subjecti non requirit; et sic ex non sancto Christus factus est sanctus, ut dictum est.

Quantum concedimus: quia responsio illa non valet.

Expositio secundae partis textus.

Obnoxia fuit peccato in Maria. Sed contra. Quod non est, non potest esse peccato obnoxium. Sed caro Christi non fuit nisi in ipso. Ergo falsum est quod dicitur. — Dicendum, quod quamvis caro Christi actu non fuerit nisi in ipso, tamen materialiter fuit in beata Virgine et in aliis, sed differenter: quia in beata Virgine praexistebat materia illa essentialiter, sed in aliis prioribus (1) originaliter tantum, ut dictum est; et secundum illum modum quo in unoquoque fuit, sic peccato obnoxia erat.

Ita et leviticus ordo. Videtur quod ratio Apostoli non valet. Potest enim contingere quod pater Papae alicui simplici sacerdoti decimas solverit: nec propter hoc Papa sacerdos illo minor esset;

(1) Fortasse patribus.

Quare in Scriptura sacra saepius tribuatur incarnatio, quae est opus Trinitatis, Spiritui sancto; et de ipso etiam conceptus et natus Christus dicitur.

Cum vero incarnatio Verbi (sicut in superioribus tractatum est) operatio vere sit Patris et Filii et Spiritus sancti, investigatione nobis dignum videtur, quare in Scriptura Spiritui sancto hoc opus saepius attribuitur, et de ipso Christus conceptus memoratur, et natus. Non enim idem operatio incarnationis Spiritui sancto saepius attribuitur, quod ipse solus eam sine Patre ac Filio fecerit; sed quia Spiritus sanctus est caritas et donum Patris et Filii; et ineffabili Dei caritate Verbum Dei caro factum est, et inestimabili Dei dono Filius Dei univert sibi formam servi. Non igitur frequens denominatio Spiritus sancti ab illo opere Patrem vel Filium secludit, sed potius uno nominato, tres intelliguntur, sicut

et sic non videtur sequi, si Abraham Melchisedech decimas solverit, quod propter hoc leviticus ordo Melchisedech minor fuerit. — Sed dicendum secundum quosdam, quod Apostolus procedit ex suppositione huius quod Abraham tota posteritate sua major fuerit; unde si Melchisedech major fuerit quam Abraham, per consequens major fuit quam Levi vel Aaron. Sed quia haec suppositio vel dubia est, vel falsa, saltem propter beatam Virginem; ideo melius dicendum, quod Apostolus non intendit probare quod Melchisedech personaliter major fuerit quam Aaron, sed quod sacerdotium Christi figuratum per sacerdotium Melchisedech majus est quam sacerdotium Aaron. Unde virtus rationis Apostoli fundatur super figuram. Figuravit enim Abraham decimas Melchisedech dans, quod ipse cum tota sua posteritate minor esset sacerdotio Christi per Melchisedech figurati.

Secundum rationem seminalem erat. Semen, ut dicit Philosophus 3 Physicorum (2 Physic. cap. 51, et 3 Metaph. text. 2), est in genere causae efficientis; unde illi dicuntur in Abraham secundum rationem seminalem fuisse qui concepti sunt per virtutem activam ex Abraham originaliter descendentes: quod de Christo dici non potest, ut ex dictis patet.

Non enim mater concupiscentia, sed gratia concepti. Istud potest intelligi dupliciter. Vel ita quod concupiscentia et gratia sint nominativi casus: sic enim concupiscentia dicitur mater eorum qui per concupiscentiam nascuntur, et gratia mater Christi, quia per gratiam natus est. Vel potest intelligi quod sicut ablativi casus, ut intelligatur quod mater Christi non genuit cum per concupiscentiam, sed per gratiam; et sic locutio propria et plana est.

Quia, ut dicunt Physici, tot diebus forma humanae corporis perficitur. Hoc potest aliter exponi quam Magister infra exponit, ut intelligatur completio corporis humani non solum quantum ad figuram, sed etiam quantum ad debitam quantitatem, ut per hos quadraginta sex dies totum tempus usque ad partum intelligatur: quadraginta enim et sex si per senarium (qui numerus est perfectus) multiplicentur, resultant ducenti septuaginta et sex dies; et tot dies computantur ab octavo Kalendas aprilis, quando Christus conceptus est, usque ad octavum Kalendas Januarii, quando Christus natus est; et hoc accipitur ab Augustino (lib. 85 Qq., qu. 33, et 36.)

DISTINCTIO IV.

saepe fit in aliis operibus. Unde Augustinus super hoc movens questionem, in hunc modum eandem determinat in Enchirid. (cap. 58, 59, 40, 41) ita inquitur:

Propositio textus (1).

« Cum illam creaturam quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit (neque enim separabilia sunt opera Trinitatis), cur in ea facienda Spiritus sanctus solus nominatus est? An etiam quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? Ita vere est, et e-

(1) In Magistri textu et in editione Nicolai omittitur hic titulus, nec dividuntur paragraphi.